

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

SCARLATINA.

---

AUCTORE HENRICO M'KIBBIN.

---

LEGIBUS almae academiae nostrae coactus aliquid progressus in medicinae studio testimonium ad proferendum, quaedam de Scarlatina disserere statui: ad talem inceptum, nullo modo, mearum virum fiducia inductus, sed, quia de illo morbo cujus multa exempla viderim, memet scribere posse melius putavi.

Ante annum millesimum et septingentesimum de hoc morbo inter medicos nulla mentio facta est: hinc, jure inferre possumus, nunquam antiquiores adortum, aut tam ra-

A

[Edinburgh: C. Stewart.

1811.]





rum, aut in decursu tam mitem fuisse, ut observatu indignum putârunt. Dehinc, multis scriptoribus, sed nunquam lucidè vel accuratè, priusquam Cl. Fothergill, et postea, Huxham de cynanche maligna dissertationes edidere, descriptum invenimus.

Multorum, et terribilium morborum quibus corpus humanum obnoxium, ille, de quo scribere consilium est, nec minimi momenti, sive ad ejus frequentiam, sive ad violentiam spectamus. Temporibus diversis, epidemicisque variis, varias species, diversaque symptomata exhibet; aliquando in accessu, et decursu vix attentionem postulat: interdum vero, signa funesta nullis remediis domanda fine lethali citissime excipiuntur: nunc sub forma efflorescentiae super cutem, levi pyrexia stipata, lenissime in melius vertitur, nunc, cum signis postea describendis vi funestissima grasatur.

Nulla de re, me judice, inter medicos doctrina, experientia, artisque salutiferae peri-



tia, celeberrimos, tanta opinionum discrepantia exstitit, quam de speciebus quas hic morbus induit: alii, inter quos Cl. Cullen locum longe primum tenet, magnum, alii, et Gregory illust. hanc opinionem sua auctoritate sacravit, nullum inter Scarlatinam et cynanchen malignam discrimen intercedere putarunt. Nunc pauci, opinor, qui rem diligenter considerarint, eadem causa oriri, ejusdemque generis, quamvis ob res externas specie differant, ambas esse, dubitarent; nam alius ex eadem familia, eodem quoque tempore, et eadem labe inquinatus, aliam, alter alteram morbi speciem habebit: nec hujusce sententiae robur infirmabit, typum febris in utraque specie, interdum, plurimum insigniterque differre. Cullen Scarlatinam in duas species divisit:

I. Scarlatina, (simplex) nulla comitante cynanche.

II. Scarlatina, (cynanchica) cum cynanche ulcerosa.



III<sup>am</sup> Speciem, pace tanti viri, cynanchem malignam jure imponamus, et in paginis sequentibus sic descripsi, quia, quamvis de ordine nosologico sub judice lis sit, tamen de signis et methodo medendi, quantum scio, nullum discrimen intercedit.

Scarlatina saepissime autumnno, et hyeme saevit; nullo non tempore, vero, invadat. Infantes saepius quam puberes, foeminas quam mares, debiles quam robustos invadere dicitur, sed omnes, qui ejus viribus subjiciuntur, sine discrimine, adoritur; praecipue, quando epidemice grassatur. Valde contagiosa est, et infantibus, praesertim, periculosa.

Sydenham, cujus opera prorsus die nocteque perlectu, laudatuque dignissima, sic morbi speciem, suo tempore, grassantem descripsit.

“ Scarlatina febris, licet, nullo non tempore, possit incidere, ut plurimum, tamen, exeunte aestivo se prodit, quo, quidem, integras familias, infantes vero prae caeteris in-



festat. Rigent, horrentque sub initio, ut in aliis febribus, qui hac adficiuntur, neque vehementer admodum aegrotant. Postea, cutis universa maculis parvis rubris interstingitur, crebrioribus certe, et multo latioribus, magisque rubentibus, at non perinde uniformibus, ac sunt illae, quae morbillos constituunt. Ad dies duos, tresve persistunt haec maculae, quibus, demum, evanescentibus, decedenteque subjecta cuticula, restant furfuraceae quaedam squamulae, ad instar farinae, corpori inspersae, quae ad secundam, vel tertiam vicem se promunt, conduntque vicissim.”

Proculdubio, mitissimus hic fuit morbus, nullo faucium affectu, caeterorumque symptomatum violentia comitantibus, nec ulla, quae magis, interdum, quam Scarlatina ipsa formidenda, sequela subsequente. Quamvis, raro, formam tam mitem exhibet, saltem nostro tempore et regione epidemicus, ta-



men, talis viri auctoritate fretus, sub Scarlatinae simplicis appellatione, notarem.

Vulgo, autem, signis multo gravioribus grassari videtur.

Incipiente morbo, languor, lassitudo, vertigo, dolor capitis, interdum, immanis, horror, rigoresque calore alternantes, et anxietas febrilis aegrum invadunt, saepe nausea, vomitu, vel diarrhoea comitante. Facies, et oculi rubescunt, saepius lachrymarum secretionem aucta, sed notatu dignum est, interdum, longe aliam speciem exhiberi. Fauces floridae sunt, igneique coloris, interdum, maculis cinereis, ulcuscula exedentia, et serpentina obtegentibus, refertae. Velum pendulum palati, uvula, partesque vicinae, similiter afficiuntur. Deglutitio nunc parum, nunc multum, impeditur, nunquam vel raro, aequae ac in cynanche tonsillari.

Die secundo, tertio, vel quarto, facie, pectore, brachiis, cruribusque praecipue, efflorescentia florida multis ex papulis con-



stans, super cutem vix, vel ne vix quidem elevatis, sese prodit: interdum, cutis laevis, et tumida maculas rubras, vel liventes, atque amplas exhibet, sed in epidemicis gravioribus, stadiisque ultimis, hoc plerumque accidit.

Rubor tactu evanescit, sed, statim, pressura remota, revertit.

Ut plerisque febribus fit, exacerbationem vesperi patitur, et mane remissionem levem.

Delirium, morbo ingravescente, saepe adoritur. Glandulae submaxillares, parotidae, et aliae interdum, tumidae, et dolorificae fiunt; interdum, ad statum naturalem, structura immutata redeunt; interdum, in pus lente abeunt. Ab aliquibus medicis, tumores glandulares, in febrium curriculo orientes, resolvere perniciosum, puris formationem promovere, salutiferum, conari putatur.



Eruptione, diarrhoeam, vomitumque levare, retrocessu acriter instare, nihilominus, alia pyrexiae signa minime, vel in melius, vel contra, mutari, observamus. Sub initio, ictus arteriarum, interdum, duri et fortes, interdum pleni et molles, sed, saepius, parvi et debiles, semper naturali crebriores, sentiuntur: vero in progressu, qualescunque initio fuerint, parvi et debiles, interdum, etiam, abnormes fiunt: Multum ex aegri aetate, et habitu, et epidemici natura, pendent.

Linguam, modo, minime mutatam, modo, ejusdem esse coloris ac cutis, nunc fuscam, nunc albam, et muco viscido oblitam, videmus. Urina frequenter naturalis, sed saepius cruda, et pallida, et postea turbida. Alvus modo astricta, modo laxa, nunc naturalis, ab aegri aetate, et habitu, multum pendere dicitur: scilicet infantibus quam pueribus laxior: in omnibus exemplis, quae vidi, obstipatio accessit, praesertim sub initio, postea, vero, diarrhoea subsecuta est, et



eo severior, quo longius, et firmiter, adstricta fuerat alvus.

Morbo, specie miti, eventum faustum, et cito, sperare nobis licebit. Efflorescentia, quae dies duos, vel tres perstat, evanescit, et epidermis in squamulas, ad furfuris instar, abit et decidit. Oris affectus paulatim disapparet, ulcuscula facile sanantur, pulsus naturalis fit, omnes corporis partes officiis solitis perfunguntur; robur gradatim redintegatur.

Hae sunt signa, quae Scarlatinam cynanchicam, plerumque, comitantur.

Cynanche maligna, sic illustrissimo Cullen definitur.

“Cynanche maligna tonsillas et membranam faucium mucosam afficiens tumore, rubore, et crustis mucosis coloris albescens vel cineritii, serpentibus, et ulcera tegentibus: cum febre typhode et exanthematibus.”



In hac morbi specie, omnia signa jam enumerata, graviora et magis timenda sunt. Delirium etiam ab initio, plus minusve, saevit. Debilitas, magna virium prostratione, pulsu debili, etiamque signis putredinis ostensa, hanc speciem, praecipue, comitatur.

Gutturis affectus, et tumores glandulares, sanguini ad cor revertenti obstantes, tam violenter aegrum angunt, ut semianimem reddunt, vel, interdum, transitum aëris ad pulmones multum impediunt: interdum, cyananche trachealis accedit, et cito litem dirimit. Plerumque rigoribus, solitudine, nausea vel vomitu, praegressis, calor eousque auctus, ut fere intolerabilis sit. Sitis, debilitas pectorisque oppressio, subsequuntur. Vultus rubescit, vel livescit, et tumet; oculi, quoque suffusi, rubescunt, et aeger de sensu colli angustiae, et doloris conqueritur. Respiratio est curta, et frequens. Interdum, rancedo, cum exscreatione salivae viscidae difficili, aliis signis accedit.



Fauces eandem speciem, quam, interdum, observari in Scarlatina Anginosa jam descripsi, induunt; et quamvis, ut supra dictum, interdum fit, tamen, raro aut deglutitio, aut respiratio impeditur. Breve post tempus morbus ad crisim festinat; oris atque faucium partes internae, undique ulcusculis, quae saepe speciem fuscam, lividam, vel prorsus nigram, induunt, gravissimè afficiuntur. Lingua et dentes materia nigra obducuntur. Partes labiorum internae vesiculis obteguntur; hae liquorem acrem continent, qui partes, quas tangit, erodit. Hic in ventriculum descendit, ibique diarrhoeam, et signa alia molesta excitat. His accedit coryza, quae nares superficiemque labiorum externam, angit, et exulcerat. Materia acris ex ano defusa, partes undique circa, erodit. Sive ex pulmonum putridine, sive ventriculi, anima foetidissima adstantes obruit: denique, ex pulmonibus, ventriculo, naribus, vel ex ano haemorrhagiae erumpunt. Maculae lividae



fiunt, vel omnino interdum evanescere dicuntur. Pulsus tam celer, debilisque fit, ut ne vix, interdum, sentiri, saltem nullo modo, annumerari possit. Respiratio difficilis et strepens fit. Coma delirium subsequitur. Faeces et urina inscie redduntur. Deglutitio omnino per debilitatem perditur. Singultus, tremores, et subsultus tendinum totarum corporis virium dissolutionem appropinquare praedicunt, et postremo, omnibus aegri miseriis mors finem exoptatam, amica cum manu, affert. Quando morbus in melius jam mutaturus sit, et aeger se gratulet, Anasarca, Ascites, Hydrothorax vel etiam Hydrocephalus superveniat. Ab debilitate, praecipue, Diathesim Hydropicam pendere puto, sed alias esse causas non nego.

In Scarlatina calor est saepe praeter modum auctus. Currie ait, interdum, ad gradum  $109^{\text{m}}$ : raro, tantum augetur, sed prope ad  $104^{\text{m}}$  plus semel observavi: eousque, inter-



dum, procedit, ut manibus adstantium cutis injucundissima, aegro intolerabilis fere fiat.

Regimine frigido adhibito, aliquando, non nisi sero efflorescentia apparet; dicitur, non priusquam dies morbi nonus adesset, in paucis exemplis apparuisse; interdum, omnino prohiberi non dubito, vel, saltem, ita obscuram reddi, ut facile observatum lateat.

Multi medici quorum auctoritatem, sapientiam, et doctrinam aestimo et veneror, plus semel Scarlatinam nunquam invadere autumant; mihi quidem ex experientia loqui non licet, tamen paucos novi, qui antea morbo laboraverant, et qui, quamvis nunc et iterum contagio subjiciebantur, nunquam inquinati sunt postea. Aliqui ex professoribus nostris sese bis in eodem aegro morbum vidisse affirmant, et eorum auctoritati credere nunquam non vellem.

Cadaveribus incisis, fauces inflammatione interdum, sed raro suppuratione, saepius gangraena correptae, observantur. Trachea in-



terdum inflammata viscida foetidaque materia oblinitur: multisque in exemplis etiam, ad pulmones inflammatio extendit. Tumores ampli circa collum, ab materia acri faucibus genita, et absorpta, nunc adsunt, nunc abesse conspicimus. Superficie, et aliis in corporis partibus, eadem species morbidæ quæ typho graviori solent, nimirum petechiæ, vibices, ventriculi intestinorumque putredo, interdum, plane apparent.

Aër humidus et impurus, omnesque debilitatis causæ ad Scarlatinam proclivum reddere affirmantur, sed robusti aequè ac debiles, morbo epidemicè grassante, facile corripuntur, nec, nisi summa cum cautela, ejus aggressus prohibeatur.

Praeter contagium, nullam aliam causam excitantem invenimus, et ejus natura et modus operandi prorsus nos latent.

Solum pro certo habemus, non tantum ab acidis mineralibus nempe acido muriatico,



oxymuriatico vel nitroso obtundi, sed etiam omnino aboleri posse.

Morbus, ex quo difficillime Scarlatina dignoscitur, est Rubeola; sed notis sequentibus quisquis rem accurate et diligenter considerat, magna sine difficultate, justam diagnosim efficiat. In morbillis efflorescentia nunquam fere conspicua fit, priusquam die morbi quarto; in Scarlatina, contra, secundo apparet. In hoc morbo, maculae amplae saepe occurrunt, eruptio magis diffunditur, et cutis florida est, in illo eruptio punctis interstinctis constat, cuticula immutata interposita; raro, vero, hae puncta rubra coëunt: cutis, manu per ejus superficiem admota, inaequalis vel aspera sentitur; in hoc, laevis, interdum tumida; in illo, quoque, eruptio profundius rubet. Morbilli aspera perduranti tussi, paroxysmis altero alteri cito subsequentibus, acrem viscidumque mucum expellenti, epiphora, coryza, sternutatione, oculorum et palpebrarum inflammatione, quoque dignoscun-



tur. Scarlatinam, etiam, saepe tussis comitatur, et oculorum rubor, sed, re accuratius observata, tussis est curta et irritans sine raucitate, oculorumque inflammatio intolerantia lucis caret, quae semper morbillis adest, morbillis saepius libera, Scarlatinae fere nulla expectoratio.

Cynanche maligna ex cynanche tonsillari his notis dignoscatur, nempe, maculis albidis vel cineritiis faucibus inhaerentibus, majore debilitate, pulso parvo et debili, efflorescentiaque cutis in illo, respiratione difficiliore, tumore majore, ad pus formandum proclivitate, et pulsu forti et pleno, in hoc morbo occurrentibus. Infantes et debiles cynanche maligna, robustos adultosque tonsillaris saepius adoritur: porro in illo, membrana mucosa oris et faucium, in hoc morbo, vero, amygdalae praecipue afficiuntur, praeterea, in illo febris est typhodes, in hoc synocha.

Signa diagnostica inter cynanchem malignam, et trachealem vix postuluntur. Vocis



sonus peculiaris, et caetera tracheali peculiariora morbum plane pleneque notant.

Multum ab epidemici natura, habitu et aetate aegri pendet prognosis, sed per symptomata etiam eventum, plerumque, praesagire possumus.

### FAUSTA SIGNA.

Pyrexia lenis, remissione sub eruptionem accedente. Die quinto, vel sexto circiter, cutis antea arida, tunc humida et mollis, hoc quoque tempore, pyrexia imminuta. Efflorescentia florida aequae per totum corpus diffusa. Aliquando amygdalarum tumore, morbum sublevatum fuisse dicitur, sed falsum an verum, non satis compertum habeo.



## INFAUSTA SIGNA.

Sub initio morbi dolor capitis immanis, praecipue verticis. Diarrhoea, morbo nondum inclinato. Delirium, coma, oculi languidi et aquosi. Vultus tumidus, lividus, pallidus, et dejectus. Magna virium prostratio. Pulsus parvus, abnormis, intermittens, et quasi tremens. Respiratio parva, curta, et frequens, suspiriis interrupta. Urina valde limpida, vel ruberrima, et turbida. Faucium color niger, et maculae fuscae, vel lividae. Pustularum, vel petechiarum purpurearum eruptio. Vulnera, ulcuscula, vel fonticuli lividam vel gangraenosam speciem exhibentes. Signa hydropica. Ulcuscula in faucibus gangraenosa. Faeces foetidae, nigrae, et inscie redditae. Dyspnoea inflammationem ad pulmones festinantem, vel etiam pneumoniae invasum indicans. Enteritis,



gastritis, phrenitis, vel ulla alia affectio topica. Haemorrhagiae ex ore, naribus, auribus, vel ano erumpentes. Spiritus foetidus, extremae frigidae, sudores viscosi, et singultus mortem adesse certissime praedicunt.

### CURATIO.

Modus medendi ab specie morbi multum pendet. In illa morbi specie, Scarlatina simplex appellata, nulla fere remedia necessaria sunt praeter regimen frigidum, aërem purum, et alvi purgationem modicam. Aliae species, vero, nempe Scarlatina anginosa, et cynanche maligna, attentionem strenue vindicant; sine summa attentione, et cautela, eventus funestissimus accedat, et saepe, quidem, summa cura, medicamenta probatissima, rectissimeque adhibita, parum prosunt—tam malignus est morbus, tam ad malum proclivus.



Venaesectio fere semper, quamvis saepe experta, damno est. Scarlatina, qualiscunque initio, tam ad debilitatem in decursu prona est, ut evacuationes, praesertim haec de qua agimus, periculosissimae saepe, nunquam fere tutae, inveniuntur. Si aeger robustus, et plethoricus sit, praecipue, si phrenitis, dolore capitis, tinnitu aurium, oculorum rubedine, et vultu turgido ostensa, vel pneumonia, signis solitis, minuetur, tunc sanguinis missio caute adhibita multum prosit. Hirudinibus temporibus, vel lateri applicatis, fortassis tutius utamur, sed magno periculo instante, venaesectio instanter, strenueque adhibita maximum, fere unicum, est remedium; hujusmodi exempla tam rara sunt, ut in regulis ad hunc morbum curandum tradendis, fere omnino omittatur. Alvi purgationem, praecipue, attentionem mereri putavi, postquam librum de usu purgantium ab Doctore Hamilton editum, perlegerim. Hic medicus, aequae experientia, ac peritia, et



scientia, celeberrimus, in hoc, aequè ac in aliis morbis, curationem usui purgantium credere fere omnino solet; non ad purgandam violenter, sed solummodo ad laxandam alvum, nititur, et experientia ejus exemplum, multo cum fructu, imitari comprobavit. Ill. Heberdenus ait, “ Alvus semel quotidie soluta nemini, quantum scio, nocuit; at nunquam autor essem, ut saepius moveatur.” Hamilton, ni fallor, signa hydropica, quae saepe hunc morbum subsequuntur, prorsus, vel optime, hoc medendi modo, prohiberi, aequè ac si accesserint, mederi affirmat. Semel indies alvus ut laxetur necessarium est, nam sordium accumulatio, non solum e cibo in ventriculum recepto, sed etiam secretionibus vitiatis exoriens, ventriculum et intestina multum angit et laedit, et nisi cito amoveatur, nauseam, vomitum, diarrhoeamque excitet, quae saepe periculosa, semper injucunda sunt. Contra, nimia purgatio nunquam prodest, debilitatem affert,

et semper sedulo evitanda est. In stadiis post primum, vel debilitate instante, clysmata majore cum fructu, minoreque periculo, usurpantur. Si diarrhoea aggrediatur, medicamentis lenibus cohibenda est; sed his expertis, si adhuc perstet, ad potentiora illico confugiendum.

*Emetica.* Sub initio morbi medicamenta quae vomitum movent plerumque plurimum prosunt, aequae vim morbi effectuumque nexum confringendo, ac ventriculum deplendo, lenem, et universalem sudorem eliciant, quo signa molesta levare solent. Eorum usus per totum morbi decursum nocet, ventriculum debilitando, et, igitur, nunquam tutus, vel necessarius, nisi materia incocta et irritante stomachus laboret, quae dolorem capitis, nauseam, et vomitum, sensumque oppressionis circa praecordiam, ciere consuescit. In tali casu, lenia emetica, ut ipecacuanha, vel infusum florum anthemidis nobilis, magno commodo sunt, et in habitu jam debilitate



confecto diarrhoeam prohibeant. Emetica initio usurpata raro repetitu egent, sed si necessaria sint, usum male moremür.

*Nauseantia.* Si ulla, mitiora ut sales neutrales multa in aqua soluti, et diluentia ad sudorem eliciendum, maxime sunt idonea, mihi, quidem, magis arridet modus medendi, qui regimine frigido gaudet. Equidem morbo jam inclinato, vel potius ad crisim festinante, si diaphoresis lenis per totum corpus aequè diffusa, et calida exoriatur, diluentibus, vel etiam potu leni, et cardiaco, magno cum fructu promoveatur.

*Epispastica.* Ab antiquioribus medicis emplastra cantharidum in omnibus morbi stadiis, utpote maxime necessaria, commendata fuere. Si affectio ulla localis, ut phrenitis, vel pneumonia, jam aggressa sit, vel minuetur, prosint: in quibusdam exemplis, faucibus externis adhibita fuere. Nullo modo, ut stimulantia, necessaria sunt, nam, certe, vinum et opium longe sunt meliora.

*Gargarismata.* Ex gargarismatum usu fructum non parvum nobis sperare licet. Saniem in ventriculum stillare prohibendo, diarrhoeam, &c. prohibent. Priusquam aliquid deglutiat aeger, gargarizare necessarium erit: Infantes, vero, gargarizare nequeunt, et quidquid in os injiciatur, deglutire solent; gargarismata, igitur, ex fluidis innoxiiis, vel ad morbum sanandum conducentibus, constare debent, et si injici non possunt, ope penicilli, vel spongia, admoveantur. Ulcerum scarificationem tam infelix eventus subsequutus est, ut propositum, tanquam maxime perniciosum, merito rejicitur.

*Tonica et Stimulantia.* Remedia, quae tonica appellantur, et stimulantia, quando debilitas urget, optime adhibentur. Cinchona officinalis omnibus aliis tonicis, si ullo medicamento nomen tonici permittatur, longe praestat. Pulvis subtilis, si ventriculus sinat, omnibus ejus praeparatis est anteponeendus,



si nauseam, vel vomitum cieat, infusum, pauxillo tincturae ejusdem conjunctum, in ejus loco adhibeatur. Si cinchona alvum adstringat, singulis dosibus grana pauca rhei palmati addantur; si diarrhoeam excitet, aliquae guttae tincturae opii. Vinum, ut stimulantium praestantissimum, vel per se, vel aqua commistum, libere bibendum est. Pauperibus, quamvis minore cum fructu, succus pomorum fermentatus, cerevisia, alii liquores fermentati, et spiritus gallicus (Anglice brandy) multa aqua commistus, suppeditentur. Cerevisiae spuma in febris typho multum putredini obstare cognoscimus, et, igitur, stadiis hujusce morbi nonnullis, ad putredinem proclivis, multum profuturum jure inferamus.

*Acida.* Acida praecipue mineralia in Scarlatina saepe, et cum fructu, usurpantur. Acidum muriaticum, vel oxy-muriaticum, praecipue commendatur. Saepe hoc medicamentum, felicissimo cum eventu, prescriptum vidi; aequè refrigerans, ac antisepticum,



me iudice, experientiam latiore meretur.

*Aqua Frigida.* Sed omnium remediorum, quae in hoc morbo usurpata fuere, affusio frigida plurimum prodesse videtur. Cl. Gregory in suos filios hoc morbo laborantes, non tantum tutò, sed etiam feliciter, hoc remedium tentavit; et Curry, qui ob industriam in hac re, aequè ac in litteris humanioribus excolendis, bene meritus est, et famam immortalem adeptus est, summa laude ejus usum extulit. Alii illustrissimi medici, ejus usu eventum secundum oriri, quoque testantur. Legibus observatis quas scripturus sum, aqua frigida, sub forma et balnei, affusionis, aspersionis, et potus, tutissime adhibeatur; nunquam, vero, aliter.

Tutissime utamur, “ cum nullus frigoris sensus adest, cum calor corporis supra gradum naturalem fixus manet, et cum perspiratio neque generalis, neque copiosa est.” In tertio vel etiam quarto morbi die, si corporis calor multum supra gradum solitum intendi-



tur, affusio frigida, cum commodo uti potest; quo citius, autem, eum in auxilium vocamus, eo felicior erit eventus. Cum morbus provector est, et calor non ita saevit, affusio potius tepida bene convenit, calorem quoque temperat, et sudorem saepe elicit.

Monendum est, tamen, morbum tam etiam ab initio malignum interdum invadere, ut affusio frigida male, vel perniciose, usurpetur. Haec morbi species petechiis, magna virium prostratione, spirituque foetido, ostenditur. In tali exemplo, si ullum hujusmodi remedium postuletur, melius aceto cum aqua tepida spongia madefacta applicetur. Summa mundities semper necessaria est, et quoque aëris purissimi aditus, nec vestimentorum, ut aliqui adhuc ineptè putant, mutationem ullum detrimentum subsequitur.

Si diarrhoea, quae crasim non notat, in morbi decursu occurrat, illico cohibenda est.

Signa hydropica, purgantibus vel affusione frigida usitatis, rarius quam si alia remedia



adhibita fuerint, subsequi dicuntur. Sed si accesserint, per lenia purgantia, diuretica, vel diaphoretica, amovenda sunt; cura etiam adhibita, ut vis vitae sustineatur, et robur etiam corporis quam citissime restauretur, nam hydrops, praecipue, debilitate oriri, et etiam manere, videtur.

FINIS.